

5 propterea quod amat filiūs. *DA.* egon istuc facerem?  
*SI.* credidi,

idque adeo metuens vos celavi quod nunc dicam. *DA.* 585  
 quid? *SI.* scies;

nam propemodum habeo iam fidem. *DA.* tandem cognosti  
 qui siem?

*SI.* non fuerant nuptiae futurae. *DA.* quid? non? *SI.* sed  
 ea gratia

simulavi vos ut pertemptarem. *DA.* quid ais? *SI.* sic  
 res est. *DA.* vide:

10 numquam istuc quivi ego intellegere. vah consilium calli-  
 dum!

*SI.* hoc audi: ut hinc te intro ire iussi, opportune hic fit mi 590  
 obviam. *DA.* hem

numnam perimu'? *SI.* narro huic quae tu dudum nar-  
 rasti mihi.

*DA.* quidnam audio? *SI.* gnatam ut det oro vixque id  
 exoro. *DA.* occidi. *SI.* hem

quid dixi? *DA.* optume inquam factum. *SI.* nunc per  
 hunc nullast mora.

15 *CH.* domum modo ibo, ut adparetur dicam, atque huc re-  
 nuntio.—

*SI.* nunc te oro, Dave, quoniam solu' mi effecisti has 595  
 nuptias . .

*DA.* ego vero solu'. *SI.* corrigerē mihi gnatum porro  
 enitere.

*DA.* faciam hercle sedulo. *SI.* potes nunc, dum animus  
 inritatus est.

*DA.* quiescas. *SI.* age igitur, ubi nunc est ipsu'? *DA.*  
 mirum ni domist.